





REGIMEN  
P V E R E R A R V M



PRAESIDE  
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOCVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VILL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,  
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. IV. MARTII MDCCCXCI.  
DOCTORIS MEDICI HONORES  
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBlice DISCEPTABIT  
IOANNES CAROLVS PHILIPPVS PETERS,  
PASEWALCKA - POMERANVS.



---

TRAIECTI AD VIADRV M,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.



REGIMEN  
E. V. H. R. A. R. V. M.

\*\*\*\*\*

LEASING

MANNHEIM AKADEMISCHES ERZIEHUNGS  
ANSTALT FÜR JUNGLEUTE

UND FÜR ALTE JUNGLEUTE  
IN MANNHEIM

DR. H. MARTIN  
DOCTOR IN MEDICINA

PHYSICUS  
UND DIRECTOR

DES ANSTALTS  
FÜR JUNGLEUTE

VERLAG VON  
E. F. FROSTENBERGER



---

§. I.

*Etymon.*

**P**uerpera, graece *παιδοτόμος*, *eine Sechswöchnerin*, *Kindbetterin*, femina illa vocatur, quae foetum nuper edidit. Verbum germanicum, *eine Sechswöchnerin*, denominationem duxisse videtur a vocabulis, *sex* et *hebdomas*: forsitan, quod indicat spatium sex hebdomadum, quae ad conualescentiam puerperae requiruntur; spatium temporis re vera conueniens, sed, pro dolor! a feminis nostris iamiam saepe ad dies quatuor vel sex coarctatum, haud sine maximo valetudinis detrimento. *Regimen* autem vox est recepta in arte salutari, denotans certam et a medico imperatam diaetae et victus rationem, cuique morbo conuenientem. Teutonice, *das Verhalten*.

§. II.

*Puerperium morbus habetur.*

Hisce positis, quaestio nunc expedienda est: an puerpera numeranda sit inter aegrotos, nec ne? Quaestio haec omnino est necessaria, si de regimine puerperarum agitur; de regimine post felicem partum: vbi faex muliercularum, sobrinarum, et nutricum, vexatio et incommodum medicorum, ius sibi arrogat, ob experientiam, quam in nonnullis puerperiis acquisuisse prae se ferunt, puerperam,

nugis ac auctoritate distingere, praeceptaque medicorum aspernari. Consentunt quidem Iurisconsulti, mulierem, tam grauidam, quam puerperam, sanam haberi, excepta laesione praeternaturali. Videatur VLPPIAN L. II. §. IV. et L. XIV. §. I. et illustris LEYSER, *meditat. ad Pandect. Vol. I. spec. XIV. §. III.* Inueniuntur etiam mulieres, quae puerperium non pro statu morboeso aestumant, praesertim inter humiles istos et pauperes homines; qui quiete ad corpus, morbo consumptum et destitutum, denuo recreandum carent. Exstant tandem exempla inter rudes populos, quae probant, grauidas statim post partum ad labores se adcinxisse sine sanitatis damno; et fere singularis et incredibilis hic mos est inter feros populos, ut relatum legimus. Conf. de PAVW *sur les Americains* II. p. 229. et seq. FISCHER apud PALLAS *in Beyträgen* III. pag. 303. PISO p. 14. BIET p. 389. FERMIN *Description de la Guyane*, p. 233. BARRERE p. 167. et 168. DOBRIZHOFER II. 231. 32. du FERTRE II. 373. CRANZ *Beschreibung von Grönland*, p. 275. Quippe mares, post partum a feminis peractum, in lectum se conferre et a puerperis, velut aegrotantes, curari perhibentur. Haec in medium prolata sanitatem puerperarum post partum probent? Dubito. Probant quidem hominem ferum in statu naturali longe minus debilitari et infirmari, prae ceteris Europaeis et effeminatis nationibus: silentio autem e contrario premunt exempla priorum feminarum, quae, si forte debiliores sint, istam consuetudinem vitae iactura luunt. Si tandem inter

intet nostras mulieres nonnulla firmioris habitus exstant exempla, quis felicem semper spondebit euentum? Verbi causa, haemorrhagiis, prolapsu vteri, inflammatione vteri, delirio, et seq. haud raro corripitur huiusmodi puerperas, praxis quotidiana satis abunde nos edocet. Ex dictis ergo conficitur: vt statum puerperae post puerperium etiam felicissimum ad statum aegroti referamus, ex quo grauida, deinceps puerpera denuo eluctata conualescit. Intentio virium et defatigatio, aut nimia compressio, aut repletio intestinorum, conualescenti feminae pristini morbi recursum facile minantur. Libenter cum *III.* consentirem *TISSOT*, adfirmante: puerperas aestuari grauiter vulneratis similes; quibus error in diaceta aut rebus sex non naturalibus commissus euentum lethalem promte adferre potest. Tandem, si sequentia ab experientia stabilita perpendamus, intestina nimirum puerperarum in statu grauiditatis cibus accumulata, ac bilem pressione vteri versus hepar in intestinis haesitantem; quae omnia, a pressione partus ac exinde orta inertia intestinorum, in intestinis quiescunt, et a leuissima febricula, aut regimine calido, aut sola fermentatione, post pressionem cessantem nunc actiuiori reddita, turbantur, incitantur; facile patet, vnde puerperis ex improviso saepe mors praematura adferatur. Quare si rem acute perscrutamur, necessarium est, vt post felicem partum aequae, ac grauem, regimen quoddam a medico definiatur. Atque hoc ipsum est, de quo nunc verba facere instituimus.

A 3

§. III.

*De vestitu et ligatura puerperarum.*

Expulsis foetu et secundinis, puerpera paululum quiescat, ut vires colligat, dein cubitum eat in lectum, antea linteo cerato in media parte testum, ne fluxus lochiorum pulvinaria madefaciat, ac indusium breue, corpus proxime tangens, et a parte posteriori diffusum, induat. Scilicet huius generis indusium commoditate et munditie prae aliis se commendat, cum fluxu lochiorum haud inquinetur. Nunc puerpera pro more veterum *ligatur*, ne tumor abdominis remaneat et formam corporis deprauet. An haec ligatio ad tumorem abdominis corrigendum satis efficax sit, nec ne? fere dubitem; cum dentur feminae, teste BOEHMERO et FRIEDIO; (vide DOFFDIEFF *de regimine puerperar.*) quae etiam post ligaturae applicationem abdomen tensum e puerperio ferunt, et aliae, quae ligaturam omittunt, et corpore habili et depresso gaudent. Lectorum pace subiiciam hic indicem sequentem virorum de arte obstetricia longe meritissimorum, qui hac de ligatura suam dixerunt sententiam. PEV et MAVRICEAV (*Malad. des femm. accouch. Tom. I. Liv. 3. Chap. 2. pag. 376.*) validam constrictionem abdominis per ligaturam vituperant, moderatam non plane contemnunt. SMELLIE in animi pathematibus ligamen adhiberi iussit. Ill. de GORTER in libro lectu dignissimo, *de abdominis ligatura*, modum fasciam applicandi bene expendit, leniores ligaturas ad leniendos



dos dolores post partum commendat, valde autem abustum, quo mulieres constringunt cingulo vel angusta fascia circa mediam abdominis partem puerperas, reprehendit. Ill. BOERHAAVE in lipothymia et conuulsionibus statim a partu, et in doloribus post partum, fasciam latam, laxum abdomen fulcientem, commendat §. 1323. *Aphorism. de cog. et cur. morb. iniquiens: tollit priora mala.* Celeberr. LEVRET l. c. §. 840. ligamen pro re inutili habet. De arte Hippocratica optime meritus GEORG. ERN. STAHL aduersus flatus, qui abdomen tendunt, et instatum abdomen euitandum, ligamen suadet; (*Diff. de puerper. affect. Halae 1704. p. 15.*) vt verba ipsius sequentia testantur: „Abdomen autem mantili latiore colligetur: tum ne flatibus, in capaci haecenus partium abdominis continentium dilatatione libera distendendi copia relinquatur; tum hoc ipso non augeantur magis irregulares pressiones vasorum vterinorum, adeoque magis inordinato fluxui sanguinis ex vtero, occasio praebetur: His enim duplicibus, grandibus certe, immo periculosis, incommodis, per illam negligentior rem abdominis deligationem exponi puerperas, testatur quotidiana experientia. Immo vero euenit subinde puerperis ex hoc neglectu durabilis illa abdominis distensio, et in se flatulenta, et flatulentiae etiam imposterum facile est varie exacerbandae velificans, vt puerperae tales ab huiusmodi neglectiore deligatione admodum inflatum abdomen retineant, einen sackigten Leib, vt vulgo loquuntur.“ Ill. BAUDELOQUES, vir ingenii acuti et in arte obstetricia longe cele-

celeberrimus, in libro suo, in linguam teutonicam  
 translato, *Anleitung zur Entbindungskunst*. Leipzig  
 1782. (qui versione viri acutissimi Ill. MECKEL eius-  
 que notationibus palmam editioni gallicae praeripit,  
 Th. I. p. 324. seq. differit: *Die Erfahrung, welche*  
 „mir die Vortheile der Binde bey ähnlichen Umstän-  
 „den schon zuvor, ehe ich SMELLIE'S Vorschriften  
 „kannte, bestätiget hatte, lehrte mich hernach, das  
 „sie bey gewissen Fällen des Blutflusses nach der Ge-  
 „burt dadurch Nutzen schaffen koennte, das sie den  
 „Lauf des Bluts nach der Gebärmutter zu durch einen  
 „mittelbaren Druck auf die Blutgefäße des Unterlei-  
 „bes etwas mässigt. Ferner verhindert sie auch die  
 „Erweiterung und Ausdehnung des Darmkanals, und  
 „beugt den darauf folgenden Brüchen vor, indem sie  
 „den auszutreten suchenden Theilen Widerstand  
 „thut. Endlich habe ich bemerkt, das bey verschie-  
 „denen Frauen, welche den Unterleib in den ersten  
 „Tagen nach der Niederkunft nicht gelind zusammen-  
 „gedrückt hatten, die Gebärmutter grösser und voll-  
 „blütiger ist, als sie bey anderen, welche den Unterleib  
 „umwickelt hatten, in der nämlichen Zeit nach der  
 „Niederkunft war.“ Consilia horum virorum in  
 arte nostra praecipuorum, excepto vnico LEVRET,  
 qui saepe incaute et inconsiderate pro lubitu aliquid  
 laudat et vituperat, coniunctim omnino pro ligatura  
 certant. Proinde non possum non, quin cum illis  
 consentiam, et quidem sequentibus ab experientia  
 constitutis argumentis. *Primo*, quod tumores par-  
 tium ex laxitate vasorum seu oedemata, a veteribus  
 frigidi

frigidi dicti, sola ligatura sanantur: quod probant oedemata pedum per se incipientia, non autem graui et ancipiti morbo superuenientia, per ligaturam curata; teste optimo sene et velut patre nostro, *Ill. THEDEN in Bemerkungen Th. I.* Eodem modo tumor artuum post contusionem aut luxationem saepe per ligaturam inuoluentem artuum (*Einwickelung*) depellitur: vid. *l. c.* An tonus vasorum per ligamen ita augeatur, vt humorem stagnantem vasa dispellere possint? vix dubitari potest. Porro, quoniam experientia edocti sumus, tormina abdominis ligatura seu pressione placari; quod ad haec situ aegroti, cum pectus versus genu ad mitiganda tormina inclinatur, eo probabilius euadit. *Dein* quod non raro musculi abdominis, per extensionem in grauiditate continuam, vi contractili sub primum tempus fere priuati sunt, et in multis multiparis adfluxus sanguinis ad dilatata vteri vasa lenem huius compressionem requirit. Omnino enim exinde partim musculis flaccidis robur redditur, partim haemorrhagia vteri nimia aueritur, atque praefens mitigatur. *Tandem* quod in animi pathematibus, syncope, et seq. praecipuo sint vsui, probatur per ligaturas in hydrope post emissionem aquae; vbi sunt necessariae. Vide *Excell. ALEX. MONRO on the Dropsy et Medic. Essays and Obseruat. T. I.* Rationem fasciam hanc applicandi optime exposuit *Ill. de CORTER* in libello vtilissimo, *Van de Slutband*, et cet. in quo etiam commoda laudat, quae puerperis hinc subueniunt. Pulcherrimos effectus semper vidit, dum post partum

B

tum

tum statim abdomen molliter fulciebatur lata fascia, mantili, vel mappa; quae si post aliquot horas, detumescēte magis abdomine, laxius haerere incipit, denuo moderate adduci potest, cauendo tamēn semper validam compressionē. Obseruauit idem, hāc methodo minores dolores partum sequi, minusque grumosi sanguinis in vtero colligi. Praeterea vidit, alium facilius sequi in puerperis; cum alioquin durae faeces in colo intestino, facile accedente distensione, colligantur in maiorem molem, quae postea summas molestias parere possunt, dum per anum exprimi debent. Salutarem etiam effectum obseruauit in haemorrhagiis vteri chronicis, etiam in senili aetate, dum sacculum, roborantibus remediis plenum, applicabat abdomini, et simili fascia firmabat. Lintea denique ad haec ad genitalia farcienda et supponenda sunt; quae saepe commutari recentibus debent: vide BAUDELOQUE T. I. p. 325. Monendae postremo sunt puerperae, ne surgentes et ambulantes fasciam abdominis deponant; quandoquidem, ne partes debilitatae prolabantur, optimē cauere illas oportet.

§. IV.

*De regimine aëris, decubitus, et sessionis.*

Haud infrequens multos inter populos mos est, in morbis acutis, vt et in puerperio, aegrotum, qui iamiam aestu cruciatur, adhuc lectis et stragulis et calore cubiculi fere opprimere, et gradum aestus augere.

gere. Iste deprauatus mos, quo vires puerperarum maxime depascuntur, coniunctim cum atmosphaera haud renouata aegrotos adeo vexat, vt fere suffocentur, aut tam diu crucientur, donec aut moriantur, vt plerumque fit, aut lente conualescant. Hanc pessimam plurimorum Germanorum consuetudinem PETRVS FORESTVS *Lib. VI. Obs. 44.* ducentis ab hinc annis iam vituperauit. Omnino huiusmodi regimen aëris sudores commouet, vires exhaurit, exanthemata varia producit, verbi causa, miliaria alba atque rubra, petechias, et praesertim purpuram puerperarum; hinc aegri tristes et morosi euadunt et a micissimo refrigerio perquam necessario pessime afficiuntur. Quae *Illustris TH. SYDENHAM in Oper. Medic. T. I.* suo iam tempore lugebat, et adhuc dum omnes experti lugent medici. Deinde respirationem difficilem et anhelosam, insomnia, et deliria promouet, et aegros sitibundos ardentis et exultos reddit, aestuosum eiusmodi regimen. Ad haec praecauenda curari oportet, vt aër nunquam sit frigidus, perpetuo temperatus, et hieme, et aestiuo tempore magis consuetudini et temperamento puerperae adprime conueniens. Ne autem frigore puerperae afficiantur, mulieres adstantes satis student, et omnem eius admittendi occasionem studiose declinant; quippe per incommoda statim sequentia, exempli causa, tormina aut turbationes lochiorum, abunde edoctae. Quare raro cum his propter frigidorem aërem disceptandi erit occasio. Tegumenta cum a commodo aegrotorum, tum a consuetudine,

rum a tempestate anni dependent. Constans tamen sit regula: vt caleant puerperae moderate, vel stragulis ita sint tectae, quo probe, neque tamen nimis, corpus defendatur; praesertim abdomen atque pedes in lecto sic teneantur, vt leuis succedat transpirationo aut diaphoresis, ac surgens puerpera non refrigerat. Tempus, per quod puerpera in lecto tenenda est, in puerperio etiam felici duodecim, saltem nouem, sint dies: numerus, religiose puerperis commendandus, ne alacrius surgant; vt saepe iam quinto sextoque die facere solent, sed prolapsu vteri et corpore debili hanc temeritatem plerumque luunt. Per tempus, quo in lecto iacent puerperae, saepe erigantur, vt, puluinaribus dorso ac capiti substratis, sedeant; ne per situm horizontalem defatigentur, ac eo alacrius surgere possint. Puerperae, quae non lactant, pectora et lacertos semper tegant magis, quam lactantes, ne stagnatione lactis afficiantur. Cetera in lactantibus pariter, ac non lactantibus obseruanda sunt: memores tamen semper oportet esse puerperas effati patris nostri in atte salutari, HIPPOCRATIS, *Aphor* I. 17. dicentis: Dandum vero etiam aliquid est consuetudini, et tempestatj, et regioni, et aetati.

## §. V.

*Alimenta.*

Magnam esse partem regiminis in valetudine puerperarum conseruanda, quo magis experientia edocti

docti sumus: eo minus quoque negari potest, saepe optime constitutas sibi visas puerperas ex commissis leuibus in diaeta erroribus in morbos incidisse, a quibus difficulter liberari potuerunt. Haec accidere, ne mireris, beneuole lector, si secretiones et excretiones puerperarum, fluxum nempe lochiorum, lactis in mammis secretionem, et seq. cum irritabilitate vasorum, et vteri, et intestinorum, post praegressam haemorrhagiam et partum perpendas. Saepe his anam praebent copia fermenti et infarcti acris, et male mixti intestinorum liquoris, iamiam durante grauiditate aggregati atque mora corrupti. Ad haec incommoda autem euitanda, alia sunt intermittenda, alia obseruanda. Quippe nostris in regionibus familiaris est mos, puerperae, si peperit et in lectum se contulit, iusculum adferri e cereuisia, cumino et pane coctum, ad restaurandas vires amissas; aut iusculum carnis salitum et aromate, immo croco, conditum. Alii potum ex fabis arabicis tostis coctum puerperas, aut nolentes, aut volentes, forbillare iubent. Alii, quod terribile dictu est, vinum calidum cum cinnamomi cortice puerperis suadent. Iubet quidem lex Hippocratica *Aph. II. 38*: Paulo deteriorem et potum, et cibum, verum iucundiorum, melioribus quidem, sed iniucundioribus, praefendum esse: minime tamen, supra nominata iuscula huc iusto referri posse, puto. Concedo quidem, puerperas in ista lassitudine, quae partum naturalem insequitur, a dictis iusculis ad tempus quodammodo vires recuperare, et velut refocillari, ita

vt per horam, et quod excurrit, sibi ipsae videantur  
 hilares et firmæ: sed, cheu! mala consuetudo alias  
 quoque puerperas, quibus robur fibrarum et firma  
 sanitas est, his diaetæ vitiis in maximas conicit per-  
 turbationes; quas in puerperis a natura robustiori-  
 bus, aut iis, quæ magna irritabilitate gaudent, et  
 quibus intestina sordibus impleta sunt, sæpe numero  
 exinde obseruamus. Tristes hinc experientia nos  
 edocuit euentus, febres nempe puerperarum, milia-  
 ria alba aut rubra, inflammationem vteri, metastasin  
 lactis, quæ omnia sæpe morte finiuntur. Sed ab  
 hac pessima consuetudine matronas et mulierculas se-  
 mouere, Hercules fere est labor, nec satis sollicitè  
 illas dehortari possumus, quo hunc fomitem morbo-  
 rum euitent. Vt tamen promissis nostris satisfaciamus,  
 pendere adhuc nos oportet, qui admitten-  
 di sint sine incommodo valetudinis cibi et potus.  
*Potus* nimis frigidus aequè, ac calidus, nocet; qua-  
 re medium tenere conducit. Dari autem possunt ea,  
 quæ et diaphoresin et vrinam moderate agunt et  
 temperant; verbi causa, decocta hordei, auenæ,  
 graminis, album Sydenhami, panis tostii, aut aqua  
 frigida cum cremore tartari aut succo citri et saccha-  
 ro, aut vini Rhenani optimi cochlearia duo vel tria  
 cum mensura vna aquæ mixta. His addo cereuicias  
 diluiores, puras defæcatasque. Cum præterea vi-  
 res refrigerantes, antisepticæ, nutrientes et tempe-  
 rantes pomorum satis constent, ego numquam hæ-  
 sitaui in praxi mea satis felici, puerperis decocta po-  
 morum, vt et ceraforum acidorum, largis dosibus,  
 nec



nec non pulpam pomorum, aut fructus eorundem saccharo conditos, optimo cum effectu commendare. Obseruavi, his decoctis puerperas recreari, aestum temperari, ac putredinem primarum viarum corrigi, aluumque aperiri: quare decocta iam descripta, prae aliis, puerperis maximo cum leuamine dedi; ac vnicuique medico auctor sum, vt eadem tentet. Cum autem non omnia omnibus conducant, vt pater HIPPOCRATES bene iam adnotauit, etiam feminae inueniuntur, quibus poma, tam in decocto, quam in forma pultis non conducunt; cum incommodis flatulentis inde vexentur. Ad haec tollenda paululum panis albi tosti decocto pomorum addidi; qui vim exserit carminatiuam: aut pomis abstinentes decoctis supra descriptis vt iussi, aliis vero infusum Theeforme ex floribus chamomillae, aut tiliae et melissae propinaui. Sunt autem potissimum ii, quibus huiusmodi fructus non conducunt, qui ex hypochondriis laborant, et quibus vasa intestinorum ab omnibus acidis etiam leuissimis constringuntur, irritantur, aut a fructibus insigne refrigerium patiuntur. His autem prae aliis emetica mitissima necessaria sunt: verbi causa Ipecacuanhae grana sex, duodecim, vngintiae; aut tartari emetici granum semis ad vnum, cum elaeosacchari chamom. granis quatuor. Ab his sumtis si magna quantitas fellis et pituitae vomitu reiiicitur, saepe obseruavi. tum demum poma illis bene conducere. Lactantes praeterea plus bibere oportet, quam non lactantes. Ceterum et lactantes, et non lactantes acida omnis generis supra descripta adsumant:

mant: cum ex obseruationibus *Ill. CRELL AC BER-*  
*CII* certum fit et expeditum, plurima acida, quod  
 ad lac humanum attinet, nil virtutis coagulantis ex-  
 ferere. Sufficiant haec de potu; sed de *cibus* vt aga-  
 mus, adhuc restat. Oportet autem cibum puerpe-  
 rae maxime ita esse comparatum, qui nutriat quidem,  
 sed simul phlogosi ac putredini resistat, ac virtute  
 vires restaurandi praeditus sit. Hinc omnino videtur  
 necessarium, vt puerpera ad septimum vsque nonum  
 diem a carniū vsu plane abstineat. Iuscula carniū  
 quidem dari possunt, sed cum periculo ante quartum  
 diem; quia partim gelatinosa parte ventriculum oner-  
 rant, doloris cardialgici frequenti causa, partim fom-  
 item febri subministrant; eodem modo, vt in om-  
 nibus graue vulneratis a iusculis febrem concitati,  
 saepe numero obseruamus. *Aromata* omnis generis,  
 cum vim exserant cardiacam, motum vasorum au-  
 gendo, cane ac angue peius sunt fugienda. Ab his  
 nempe fluxus lochiorum aut nimis fluit, aut turbat-  
 tur; lac in mammis febre, a stimulo orta, aut cor-  
 rumpitur, aut per metastasin ad abdomen et intestina  
 pellitur; sordes primarum viarum, a statu grauiditatis  
 adhuc haerentes, incitantur, massamque sanguinis  
 penetrant, vnde inordinata lochiorum segregatio  
 et lactis haesitatio. Hinc pessima febris symptomata,  
 delirium, aestus fere ardens, fitis intolerabilis, do-  
 lor capitis tensiuuus, tormina, et tota virium pro-  
 stratio; insomnia anxia, aut agrypnia. Nimis *salsa*  
 praesertim iuscula non conducunt: partim quia sitim  
 excitando, partim irritando agunt. Conducunt qui-  
 dem

dem iuscula modice salita, cum sal culinare vim partim exferit antisepticam, partim digestionem gelatinosae partis leuat. Certum est etiam, sal culinare homini sano maiori quantitate magis proficere, dum aluum concitando agit, sed puerperis stimulando detrimentum infert. Caseum, Solanum tuberosum, pisces sale conditos, vt et farinacea cum butyro frixa, sana iam docet ratio, euitari oportere; quare haec attingere tantum placet. Profunt puerperis a primo die, etiam post felicissimum partum, polentae omnium generum, vt auenae, hordei, grana Sago, festuca fluitans *Linn.* et polenta fagopyri optima, nostratibus Eyergrütze dicta, cum aqua cocta, et parca butyri atque salis copia condita; quibus omnibus vini acidi, verbi causa Rhenani, aliquid addi potest. Simili vsu puls ex pane triticeo et aqua cum vino cocta, adhiberi potest. Pro gustu puerperarum sequentia quoque eligenda sunt: Iuscula e cereuisiis dilutioribus et aqua; iura iam dicta carniū, nec concentrata nimis, nec pingua, cum oryza et similibus ce-realibus, vel etiam acetosa aut succo citri et pane tosto praeparata, modice salita, nulloque aromate condita; tandem pultes ex fructibus horaeis siccatis, aut pro tempestate recentibus. Lac vaccinum, praefertim cum aqua dilutum, nec non cum polentis coctum, nisi flatus procreat, quod saccharo aut sale culinari inhibetur, commode sumi potest. Leguminosa omnium generum, vt et brassica Sabellica, capitata, Sabauda, cum ad concoctionem motum corporis, ac robur ventriculi ac intestinorum postulent,

C

ac

ac puerperis imbecilibus flatus procreent, omnino proferibenda sunt. Piscium genera adhuc pertractanda sunt, hinc pisces marini prohibendi, vt Salmo Salar, Gadus Morrhuia, Callarias *Linn.* sed parua portio Clupeae Harengi *Linn.* sale conditi lubenter concedimus. Inter pisces fluuiatiles: Perca, Cernua, Lucioperca fluuiatilis et Esox lucius *Linn.* cum butyro cocti pro lubitu puerperae dari possunt, sed pisces lacunarum, vt Cyprinus Carpius, Carassius, Tinca, Barbus, concoctionem difficiliorem reddunt. Haec concessa puerperis sine valetudinis noxa suppeditari posse, frequens docet experientia, nisi forsan febrilis impetus victum animale omnino interdicat. Tunc autem generatim ea commendantur, quae alias in acutis concedi possunt: de quibus videatur de HAEN *de diaeta aegror.* Hanc diaetam si et lactantes, et non lactantes, obseruant, valent; interim tamen non lactantes magis a nutrientibus abstinere oportet, ita, vt ne iuscula carniū quidem sumant, sed solam diaetam tenuem etabilem obseruare debeant.

## §. VI.

*De Somno et Vigiliis.*

Somnus, optimum remedium vires restaurandi, longe antecellit virtute iura ista calidiora aut carnosa; vnde vix credi posset, matronas istas et obstetrices puerperis, vt tamen fit, et popularis fert opinio, somnum serio interdicere. Hunc suo iam tempore

tempore errorem MAURICEAV obseruauit ac vituperauit. Nil aliud hoc stupidum et immisericors consilium procreasse videtur, quam timor haemorrhagiae furtiuae vteri; quam puerpera vigilans obseruatura est, dormiens autem non sentit. Ad haec incommoda auertenda vigilent potius obstetrices, et faciem puerperae saepe adspiciant, quae ab haemorrhagia pallida apparet. Praeterea haec haemorrhagia, excepto partu difficili, a semihora post partum raro exspectanda est. Fortassis etiam aliquoties somnus, aut potius sopor, post haemorrhagiam a stasi in cerebro ortus, terrorem iniecit mulieribus: vnde somnum in genere puerperis interdixerunt; vide LEVRET *l'art de Accouch. T. II.* Dormiant ergo puerperae et post partum et sequentibus diebus, si tantum dormire possunt: optimum enim est remedium ad affectus quoslibet temperandos et vires elapsas refocillandas. Ceterum et vigilantes, praesertim primis diebus, quietem obseruent, necesse est, et tantum ea, quibus pro suo opus habent commodo, postulent. Hanc ob causam salutationes et compellationes istae domesticae amicarum matronarum et cognatarum, sunt pestis puerperarum perniciosa, quae puerperis vires exhaurit nec dum restauratas, caput turbat, et inquietas reddit. Haec igitur prae omnibus sancte et grauiter a medico puerperis sunt interdicens. *Conclauis* parum fit luminosum. Me quidem non fugit, ex nonnullorum nuperiorum medicorum consilio, cubicula puerperarum pellucida esse oportere. Negari quidem non

potest, cuilibet morbo iamiam affecto nil tristius  
 esse conclavi obscuro, angusto et quasi compresso:  
 quare semper, si tempora et res circumstantes per-  
 mittunt, conclauē pellucidam, altam, et latam, et  
 vndique liberam atque vacuum aegrotis commenda-  
 vi. Sed cum puerperis res aliter se habet. Patulum  
 omnino, amplum, liberumque hic quidem quoque  
 semper eligamus cubiculum; sed ob irritabilitatem  
 post partum multarum puerperarum auctam sensatio  
 quaelibet valde afficiens, adeoque etiam visus orga-  
 non prae ceteris subtilissimum, lux viuidior intrans  
 valde offendit; ita, vt fere intolerabilis dolor pun-  
 gens in oculis sentiat. Quae cum ita sint, nos  
 quoque sine vlla dubitatione vnumquemque aegro-  
 tum, et in morbo, et in conualescentia, lucem ve-  
 spertino tempore sine umbraculo spectare vetamus;  
 verentes, ne oculi offendantur. Proinde etiam iu-  
 stum et aequum erit, desiderio muliercularum, quae  
 conclauē pellucidam haud amant, indulgere. Prae  
 omnibus autem necessarium mihi videtur, vt iste lo-  
 cus ab omni strepitu et tumultu remotus sit, ne puer-  
 pera a sonitu repentino, foris orto, perterreatur, aut  
 a curruum vectura in plateis turbetur. Optime ista  
 annotatio *Exc. Proff. MECKEL* in transuersione *Ill.*  
*BAUDELOQVES Th. I. p. 331.* huc quadrat. „*Man*  
*hat in England durchgehends die Gewohnheit, die*  
*Straße mit Stroh oder Erde vor dem Hause der*  
*Wöchnerin zu bestreuen; die Klopfer an den Thüren*  
*unwickelt man mit Lappen, die Treppe wird mit ei-*  
*ner mährensch. ...*

nem Teppich bedeckt, wie das ganze Zimmer gewöhnlich schon so verwahrt ist.“

§. VII.

*De regimine mentis.*

Verum est, puerperis nil aeque conducere, quam animi tranquillitatem et moderatam hilaritatem: sed haec, quae optamus et postulamus, obtinere, opus arduum est laborque saepe frustraneus. Quem fugit iste plurimarum puerperarum impetus ac iracundia, praesertim isto tempore, quo sunt irritabiliores. Omnia etiam vel minima illas offendunt in rebus domesticis accidentia. Postulat quidem sana ratio, matri familias aegrotae, quae suo munere fungi haud potest, omnes, et tristes, et iucundos, nuntios, quantum fieri potest, occultari et silentio premi, ne aut gaudio aut tristitia turbetur. Quo minus tamen ab aliis nova adportentur, salutationes muliercularum iamiam descriptae acriter interdiciendae sunt.

§. VIII.

*De fluxu sanguinis post partum.*

Femina, si peperit et secundinae aut sua sponte sunt solutae, aut circumspecte extractae, sanguinis profluvium patitur: quod, si haud nimium euadit, sine ullo periculo succedit, et in statu sano et naturali post diuidiam, vnam alteramque horam sua sponte cessat. Vehemens est primum, dein per horam, et quod

quod excurrit, modice fluit, et deinceps in stillicidium mutatur, guttatim sanguinem emittens. Quantitas huius, pro diuersitate puerperarum, est diuersa. In plethoricis, in solutione secundinarum aut post illam, libra vna cum dimidia vel duae sanguinis fluere solent: in feminis autem robustioribus haec quantitas saepe minuitur, interdum etiam augetur, per impeditam contractionem vteri, vel atoniam a nimia relaxatione vasorum et minore vi contractilitatis partium ortam. Sicuti autem a defectu sanguinis anxietas et animi pathemata sequuntur, ita etiam in puerperis eadem contingunt, quodocumque profluuium sanguinis haud tempestiue satis sisti potest. Haemorrhagiae enim interdum obseruantur decem, duodecim, pluriumque sanguinis librarum, hinc convulsiones, tandem certissima mors. Tunc haemorrhagia vocatur lethalis vteri. Plerumque vero post partum difficilem huius generis haemorrhagiae, interdum etiam post naturalem, inueniuntur. Quotiescunque igitur haec ita eueniunt, omnino succurrere puerperae, medici artis obstetriciae periti est officium. Haec instituuntur *primo* per situm puerperae horizontalem; *dein* per contrectationem lenemque compressionem abdominis a regione umbilicali et hypochondriacis vsque ad regionem pubis, ita vt per integumenta communia fundus vteri ad contractionem concitetur; *tertio* per iniectionem vterinam clysmatum ex aquae frigidae partibus tribus, quinque, vel sex et vna parte aceti vini paratorum, ope siphonis vterini, vulgo *eine Mutersprütze* dicti. Contra

ca



ea improbamus omnino deprauatam consuetudinem,  
 sphonem vulgarem (*Klystierprüzze*) ad iniectiones  
 in vterum immittendas adhibendi: quoniam exinde  
 vterus, praesertim in inflammationibus, magis ir-  
 ritatur. Palmam ergo hic Siphon, canali quinque ad  
 sex pollices longo et incuruato, et aperturis saltem  
 octo decemue in capitulo praeditus, alteri siphoni  
 praeripit. Tandem epithema a ex pannis, in aquam  
 frigidam fontanam cum aceto vini mixtam immer-  
 sis, in regionem hypogastricam imposita, exinie  
 conducunt. Est ad haec consuetudinis apud mulie-  
 res, in haemorrhagia vteri farcire vaginam pannis  
 aut laciniis vsque ad os vterinum. Conducit quidem  
 in haemorrhagia post abortum iste mos in mense  
 grauiditatis tertio vel quarto, iusta tamen cum cir-  
 cumspeditione: sed in haemorrhagia post partum ma-  
 xime fallit; cum in atonia vteri facile haemorrhagia  
 furtiua oriatur et magnum istud vteri volumen inter-  
 num sanguine impleatur; vnde animi perturbatio-  
 nes, deliquia, et tandem conuulsiones sequuntur.  
 Interne, si tempus adhuc permittit, praesertim au-  
 tem in haemorrhagia recidiua optime conducunt,  
 temperantia in plethoricis et calidioribus puerperis  
 ex magnesia et nitro cum decocto tamarindorum;  
 aut cardiaca in laxitate fibrarum cum temperantibus  
 et adstringentibus mixta: verbi causa tinctura papa-  
 veris cum decocto tamarind. Decoctum corticis  
 Peruuiani cum sero lactis aluminato et parua quan-  
 titate aquae Cinamomi vinosae; tandem alumen in  
 decocto Cort. Peruuiani, decoct. Granator. cum  
 tinctura

tinctura papaueris, si praescripta externa frustra adhibita sunt, prae ceteris in usum vocari possunt.

§. IX.

*Dolores post partum.*

Ad dolores hos non solum ii, qui et post partum felicem et difficilem eueniunt, sed etiam dolores ab vtero contuso, aut a labore grauiori tolerato, aut a secundinis restantibus, vulgo referuntur. Spectant autem dolores ab vtero contuso magis ad inflammationem vteri; quare eos etiam aliis pertractandos relinquimus, et tantum illos, qui a grumis aut coagulis sanguinis in vtero restantibus, aut a flatibus oriuntur, hic breuiter persequemur. De quorum regimine apte ordinando dum acturi sumus, facere non possumus, quin etiam medelae rationes subiungamus. Dolores post partum raro primiparas, eo magis autem multiparas cruciant. Mulieres etiam illis iam adsuetae sunt, nisi forsitan magno dolore vexatae auxilium quaerant. Dolores ergo post partum leuiores tempore tantum tolluntur; ita vt saepe intra primum nycthemerum sua sponte cessent; saepe vero etiam ad tertium vsque quartumue diem durent, et tandem decrescant. Ista autem vexatio puerperarum vehemens et grauis, quam saepe grauiorem censent ipsis ad partum doloribus puerperae, omnino auxilium requirit obstetricantium. Sunt autem causae diuersi generis. Dolores a secundinis restantibus acutè pertractantur ab artis obstetriciae magi-

magistris, scilicet quod ad manualem operam attinet, in qua cardo rei vertitur. Qua de causa hic tantum moneri oportet, regimen calidum, aut calidiora omnium generum medicamenta hic maxime esse fugienda; iniectiones contra antilepticas traumaticasque in uterum applicanda, et refrigerantia interna prae omnibus omnino reliquis esse adhibenda. Dolores a grumis siue coagulis cruoris in utero, inciscitia mulierum saepe pro mola habitis, ope siphonis aut digiti obstetricantis ablatis, saepe tolluntur. Idem fit, dum dolores persistunt, ope siphonis uterini, per iniectiones antispasticas, anodynas, et tonicas, ex infuso herbae Absinthii et Serpilli, flor. Chamom. et Verbasci, summit. Millefolii, cum nonnullis capitibus papaueris coctas. Saepe etiam facile a digitis obstetricantis orificium uteri ita dilataripotest, ut et grumi partim diuidi, partim protrahi possint. Tandem tormina ope cataplasmatis, ex herbis antispasticis et anodynis iam nominatis in regione pubis applicati, tolli, saltem minui possunt. Hinc etiam fascia lata, teste *van SWIETEN, Comment. in BOERHAV. Aphor. §. 1323.* laxum abdomen fulciens, tollit haec mala; ut supra, §. III. de ligatura pertractauimus. Interne dari possunt decocta refrigerantia et anodyna, ex hordei vulgaris manipulis tribus, capitibus papaueris Nro. IX. ebull. ad colat. librar. V. adde tincturae papaueris uncias VI. Syrupi Ribium q. s. ad edulc; quod saepe optimo successu puerperis praescripsi. An opium in vehementi dolore post partum sine valetudinis detrimento dare possumus? III. LEVRET

D

qui-

quidem l. c. §. 839. plane hoc spernit; sed quem fugit, hunc virum, ceteroquin in arte obstetricia peritum, multa decidisse, quae saepe veritati non conueniunt? Quare, si intelligamus, hos dolores a nimia et inaequali contractione partium, et a perturbatione vehementi neruorum oriri, ne per momentum quidem haesitemus, quin puerperis, quae, saepe torminibus vexatae, animum deiiciunt, opium propinemus, aut in forma pulueris ad granum vnum, per intervalla singularum aut binarum horarum, cum nitri depur. granis XV, et magnesiae granis nonnullis; aut laudanum liquidum SYDENHAMI, sine croco praeparatum, ad aliquot guttas, donec dolores decrescant. Hoc medicamine sumto, ne quidem fluxum lochiorum turbari, et ceteris remediis adhibitis puerperas feliciter sanatas esse nouimus. Huic adfero fidem faciunt testimonia virorum clarissimorum, SMELLII, TRALLES, BOERHAAVE et CRANZII: qui viri, in arte salutari excellentes, optimo cum successu opiata puerperis dederunt. Sufficiat tantum van SWIETEN in *Comm. BOERHAAVII* §. 1324 adducere verba. *Vidi tunc toties, opio prudenter dato, omnes illos dolores siluisse, et, post pacatum somnum, grumos concreti sanguinis sponte exiuisse, absque omni molestia. Candide fateor, me semper adhibuisse opiata post partum, nec poenituit vnquam, cum sancte testari possim, quod nunquam inde vllam noxam viderim; et seq. loco. Verum opio, depurato simpliciter, vsus sum; et dedi parca dozi, sed repetitis vicibus, donec optata quies sequeretur;*

retur; a qua miro modo reficiebantur. Haec autem cautela requiritur, cum medici obseruent, variam copiam opii in diuersis requiri, vt sequatur effectus: a medio autem grano in adulta nunquam aliquid metuendum est, et talis dosis pro re nata repeti poterit. Hinc aliquot grana opii in mixtura, siue portione, diluuntur, quae cochleatim exhibetur, vel et haec cum puluisculis absorbentibus teruntur, et diuisis dosibus dantur. Plane autem abstineri iubeo a more nonnullorum, puerperis emmenagoga aut ecbolica propinantium: simul cum omnibus calefacientibus, vt vino, spiritu ardente, aromatibusque plane reicienda et interdicenda sunt: agunt enim stimulando et exaestuando, quod puerperis minime conducit. Tandem decumbat, modice diuaricatis pedibus, puerpera, vt quidquid ex utero exire expedit, non impediatur; sicut MOSCHION in SPACHII GYNAEC. bene notauit. Dolores post partum ex obstructione vasorum uteri oriri, *ill. LEVRET l. c. §. 504. 809. 810.* testatur, et quidem multa cum probabilitate. Tuto hinc antea praescripta adhiberi possunt. Opium nempe dum vi specifica spasmos partium uterinarum tollit, et hoc in casu conuenit, dum os uterinum clausum inuenitur. Hinc etiam decocta aperientia, refrigerantia, anodyna, ad statim resoluendam, inflammationemque remouendam, et dolorem mitigandum conducunt. Fomentationes antispasticae regioni hypogastricae applicentur. Dolores post partum saepe quoque flatibus tantum augentur; quare hinc partim ligamine, partim clysmatibus

tibus ano immisiss succurrere possumus. Carminatiua leuissima tentari possunt, semper tamen parua dosi.

## §. X.

*De fluxu lochiorum.*

Ingens diuersitas obseruatur ratione et temporis, et quantitatis fluxus lochiorum, non solum in puerperis diuersis, sed et in diuersis puerperis eiusdem feminae. Quare hinc firmam aliquam thesin constituere non licet. Sic mihi licitum, primum sanguinis profluuium in et post solutionem placentae non ad lochia referre, sed magis ad haemorrhagiam; de qua videas, quaeso, huius dissertation. §. VIII. *de fluxu sanguin. post part.* vbi cetera, quae huc pertinent, pertractaui. Istud autem primo leuis quantitatis sanguinis, dein seri crassioris stillicidium, per incertum tempus, in nonnullis plures quandoque per hebdomades, in aliis raro sine damno, teste ROEDERERO, vix vnum alterumue diem, quin paucas horas durans, lochiorum nomen accepit. HIPPOCRATES ex praeconcepta opinione, non ex obseruatis, tempus lochiorum determinauit ad quadraginta duo dies pro femineo, triginta pro masculino sexu. *De Nat. Cap. V.* enim inquit: *Nam et purgatio a partu fit mulieribus vt plurimum, in puella quidem concepta, duobus et quadraginta diebus, eaque, vt maxime diuturna, ita perfecta est. Extra tamen periculum fuerit, si etiam quinque et viginti diebus*

*bus purgetur. In masculino vero purgatio diebus tri-*  
*ginta contingit, sicque haec longissima, et perfecta*  
*est; extra tamen periculum fuerit, si diebus viginti*  
*purgetur. Postremo vero tempore, quam paucissima*  
*purgatio procedit. DVRETVS credidit, tot dies,*  
*quot per nouem mensium spatium impensi essent*  
*menstruis in muliere non grauida, lochia fluere de-*  
*bere; vt seq. verba testantur. In Coac. HIPPOCR.*  
*tract. 3. Nam quae, inquit, sunt biduo menstrua-*  
*les, vt sunt viragines, dies octodecim exigunt in puer-*  
*periti; quae tribus, viginti septem; quae quatruiduo,*  
*triginta sex, at menstruales quinque dierum, fere sunt*  
*puerperiales ad quadragesimum quintum diem a partu.*  
*MAVRICEAV in traite des Malad. des Femm. gross.*  
*adserit: nullam hinc certam regulam obtinere, nul-*  
*lam diuersitatem inueniri pro vario sexu infantis, sed*  
*plerumque quindecim, vel viginti, dierum spatio*  
*lochia terminari. Idem obseruauit LEVRET l. c.*  
*§. 816. 823 824. et BAVDELOQVES l. c. T. I. p. 327.*  
*Ex his in medium prolatis constat: fluxum lochio-*  
*rum nullum destinatum tempus habere, et tantum*  
*eo niti, vt puerpera, bene se habeat pro re nata.*  
*Praeterea regimen iam praescriptum optimum est ad*  
*lochia conseruanda, praesertim si puerperae vel ec-*  
*coproticis, vel clysmatibus, vt bene Ill. postulat*  
*BAVDELOQVES, aluus quotidie soluatur. Opti-*  
*imum mihi in vsu fuit decoct. tamarind. cum nitro*  
*et tartari emet. gr. quatuor ad colatur. librae vnus,*  
*aut clyσμα ex decocto chamom. et saponis Venet.*  
*Quae et flatus pellunt, et sordes primarum viarum*

abstergunt. Suppressio lochiorum, quae a nimia laxitate oritur, regimine praescripto, tonicis interpositis et leniter pellentibus tollitur. Si animi adfectus perturbationesque in causa sunt, itemque refrigeratio, potionibus leniter refrigerantibus atque resolventibus, nec non quiete lochia restituntur. Sed pellentia hic nocent. De variis lochiorum speciebus optime egit LEVRET *libr. cit. pag. 163. seq.* Superfedeo nunc de regimine in febre lactea agere, quod illustris SELLE in singulis *Tomis der vermischten Beytraege* hoc argumentum ita absolute pertractavit, ut, qui haec non legisset et sollicitè expendisset, medicus dedecoris aut ignaviae nota signari mereretur.





Ua 3991<sup>b</sup>

X 2309089





# REGIMEN P. V E R E R A R V M



PRAESIDE  
 MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
 PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
 PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
 PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
 FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
 SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,  
 ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. IV. MARTII CIDICCCXCI.  
 DOCTORIS MEDICI HONORES  
 LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISCEPTABIT  
 IOANNES CAROLVS PHILIPPVS PETERS,  
 PASEWALCKA - POMERANVS.




---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
 E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

